

## C A P . L X X I .

Feri & inhumani hæretici cur sic dicti. Erroris eorum  
caput duplex hic enumeratum.



Icit Philaster esse alios hæreticos, qui cū  
hominibus non sumunt escas, sed utrū  
cum aliis, qui eiusdem sectæ non sunt,  
an etiam inter seipso faciant, non ex-  
primit. Dicit etiam eos de Patre & Fi-  
lio recte, ac Spiritu autē sancto, nō catholice sapere, sed  
quòd eum opinentur esse creaturam.

I Non sumunt escas.) Fuit & hic quoque agre-  
stis viuendi mos, & ritus, Monachismi fruticatio, &  
infelix affectatæ solitudinis, & non necessariæ fru-  
ctus, per quem videntur isti contra naturam ipsam  
humanam pugnasse, illique bellum indixisse, vt in  
reprobum sensum traditi, planè censi debent.  
Præclarè enim Aristoteles hominem ζῷον πολιτικὸν.  
i. animal gregabile, & ad societatem natum esse  
definiuit, & Augustinus libro De bono coniugali,  
capite i. adeò vt si omnia nobis tanquam virgù-  
la diuina suppeditarentur, solitudinem tamen, vt  
recte & verè sentit M. Tullius Cicero libro i. De  
officiis, fugeremus. Nam etiam magnitudo ipsa  
animi remota à communitate, coniunctione que  
humana feritas quædam & immanitas est nomi-  
nanda. Sed & cognitionis studium vincit conso-  
ciatio hominum, atque communitas. Quamobrem  
inter reliqua Dei erga genus humanum benefi-  
cia hoc quoque recensetur. Psalm. 107. versu 40.  
quòd in locis frequentibus, non in desertis &  
solitudine habitamus. Hi tamen pro summa  
laude